



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2309. Erzbischof Dietrich von Magdeburg stiftet ein Hospital zu Sandow in
seinem Gebiete, am 10. August 1367.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

2309. Erzbischof Dietrich von Magdeburg stiftet ein Hospital zu Sandow in seinem Gebiete,
am 10. August 1367.

In nomine Domini, amen. Cum venerabilis in Christo pater et Dominus noster gratiosus Dominus Theodericus, Sancte Magdeburg. Ecclesie Archiepiscopus, non solum ad debitum cure sui pastoralis officii, et ad suam Pontificalem conscientiam divine memor retributionis non ambigit pertinere gentium, monasteriorum ac aliorum piorum locorum piam sollicitudinem non negare; verum etiam pauperibus oppressis, qui debilitate faciente manibus suis laborare non possunt, infirmis et proprio defensionis auxilio desolatis cura sue paterne vigilantie et dilectionis studio, prout assertio canonica demonstrat, subvenire non desistat. Idcirco nos Consules jurati et universitas civitatis Sandow publice recognoscimus per presentes, quod prefatus Dominus noster Theodericus, Sancte Magdeb. Ecclesie Archiepiscopus, ex premissis causis motus pro divini cultus augmento in laudem et honorem B. Mauritii gloriosi martyris jam dicte Ecclesie Magdeburg. Patroni, pro anime sue, Predecessorum suorum ac suorum Progenitorum remedio et salute, erexit et de novo fundavit unum hospitale in loco prope et ante muros dicte civitatis sue Sandow, sue provincie, in qua temporale dominium habere dinoscitur, pro pauperum, oppressorum et infirmorum congregatione sub communi ita locando, et pro eorundem sustentatione X marcas Stendal. argenti redditibus de acquisitis et acquirendis de naulo per naves prope civitatem suam predictam Sandow, quas vulgaris locutio here nominat, et aliis similiter bonis quibuscunqve melioribus, promptioribus et certioribus ad consulatum nostrum et ad consules nostre civitatis Sandow predictae pertinentibus, iusto emtionis titulo a nobis sua pecunia comparatis singulis annis quinque marcas in festo S. Martini, et alias quinque marcas in festo Sancte Walpurgis per nos perfolvendas perpetue dictum hospitale dotavit. Advocatum suum pro tempore ibidem existentem ac Consules nostros juratos in Rectores et hujusmodi hospitalis gubernatores deputavit. Ne igitur predicti corpora passione afflictis a Sacramentis Ecclesie viderentur alieni, qui per credentiam corpus Christi una cum sanitate fruuntibus efficiuntur, et fortius ac devotius orationibus vacent in eodem hospitali et insistant, unam capellam et altare ad honorem predicti sancti gloriosi Martyris Mauritii dicte Ecclesie Magdeburg. imo et nostri Patroni, accedente consensu reverendi Patris et Domini Burchardi, Havelbergenf. Ecclesie Episcopi, sui suffraganei, construi fecit, et cum octo fructis perpetuorum reddituum dotavit et ordinavit consecrari. Qui quidem redditus in subscriptis locis situati sunt, videlicet in villa Wulckaw prope dictam civitatem nostram Sandow de curia et manso Conradi Hessen dimidius chorus filiginis cum tribus solidis et dimidio solido denariorum, item de curia et manso Theoderici dicti vp dem Kroge dimidius chorus filiginis et unus modius hordei cum quarto dimidio solido denariorum. De curia vero Hennekini Frisonis dimidius chorus filiginis et alter dimidius modius orde; ac de curia et duobus mansis Relcen Malitz, videlicet de uno manso septem solidi, de alio autem manso

quartus dimidius solidus et duo modii hordei, super curia et manso Hermannii dicti Koldenhowe quartus dimidius solidus cum duobus modiis hordei. Insuper de curia et manso Petri Wulkow quatuor solidi minus tribus denariis ac unus modius ordei, ac de curia et manso Herrmanni Gotzkini dimidius chorus filiginis et unus solidus denariorum cum duobus modiis ordei. Super uno manso Alheidis Schwanken, quartus dimidius solidus et unus modius ordei. Insuper de altero dimidio manso Hennekini Truden alter dimidius modius ordei et de manso, quem quondam Cernitz habuit, quartus dimidius solidus et unus modius ordei, ac de manso Engelberti Kosken dimidius chorus filiginis et dimidius modius ordei cum septem solidis. Item super curia et manso Relcen Malitz up der Stege dimidius chorus filiginis et super curia et manso, qui vulgariter dicuntur up der Stege, qui fuerunt Cornitz, dimidius chorus filiginis. Prefata omnia bona in villa et campis Wulkow situata sunt, et in villa vero Schartouwe super curia et mansis antiqui prefecti dimidius chorus filiginis, et dimidius chorus ordei, quos quidem mansos et curias Theodericus et Nicolaus, fratres, dicti Molendorp, ac Lambertus dictus Molendorp et Gerhardus ac Johannes, fratres, dicti de Redicksftorp, nec non Fridericus dictus Bandow a prefato Domino nostro Archiepiscopo et Ecclesia sua feudaliter et legaliter habuerunt et possiderunt cum juris integritate, usu et fructu et sibi liberaliter resignarunt, quas curias et mansos supradictos cum dictis decem marcarum reditibus, ut premittitur, memoratus Dominus noster Archiepiscopus appropriavit propter Deum et nostrum Continuum interventum, Et proprietatem dictorum octo fructuum dedit et tradidit cum pia liberalitate et devotionis sinceritate ob amorem Dei omnipotentis et sancti Mauricii Patroni sui, immo etiam et nostri, ad dictum altare perpetuis temporibus deputavit pertinere. Transtulit etiam omne jus possessionis, proprietatis, fundi, tituli et domini de predictis octo fructibus ad altare memoratum, nihil omnino juris sibi vel suis successoribus vel vasallis seu quibuslibet aliis personis, que predictis bonis infestationes movere possent, in futurum de jure vel de facto reservando. Nihilominus jus Patronatus dicte Capelle et altaris sibi, Ecclesie sue Magdeburgensi predictae et suis Successoribus perpetue reservavit literasque super eo nobis, suo et Capituli sui Magdeburg. sigillis sigillatas, tradidit et concessit. In quorum omnium premissorum testimonium sigillum majus nostre Civitatis presentibus est appensum. Datum anno Domini M^o.CCC^o.LXVII^o., in die beati Laurentii Martyris.